



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Qvæstio. 1. An veteri testamento consentiat Booze generatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

quem nihil prater Patrem, hominem tantummodo dicere & auctoritatem illi dominam in his abnegare. Hanc enim contumelia hereticorum ad ipsum quoque Deum Patrem redundabit, si Deus Pater Filium Deum generare non potuit. Sed enim veritati, ecclesiae hereticorum nulla praescribi. Nec quoniam in Christo aliquid non tenet, alterum vident, alterum non vident, eripitur nobis illud quod non vident, per illud quod vident. Quasi hominis enim in illo fragilitates considerant, quasi Dei virtutes non computant, infirmitatis carnis recolunt, potestates divinitatis excludunt.

§. 4. Vera igitur fides hominem constituitur, & Deum adorat. Divinitatem ita probavit verbis Christus & operibus, ut qui electi erant ad vitam aeternam crediderint, qui credere noluerint facti sint inexcusabiles. Humanitas etiam, & Regium genus de radice David, ita cognitum Iudaeis fuit, ut nemo tempore mortis illius dubitavit. Voce totius populi ramos ferentis vocatur filius David. Nec quicquam vel apud praesidem, vel populum accusatores, de genere illius attulerunt, cum tamen ita fragibili argumento impoluta cum convincere potuissent, si id probassent. Certe itaque erat genus & familia. Nam si id dubium fuisset, Pharisaei non modo excusari potuissent, sed etiam inuito argumento probassent, non esse Messiam.

§. 5. Leue est quod Faustas Manichaeus obiecit, Liber generationis Iesu Christi Filii David. Non ergo Liber Evangelii Iesu Christi, sed Liber generationis. Matthaeus improprie indicavit, Genealogiam dicere Evangelium. Quia vero stella inducitur, quae confirmat Generis melius vocari Genealogiam. Cui respondet lib. 2. cap. 2. Augustinus, Generationem Christi ad Evangelium pertinere, ex Timotheo 2. 8. Ex semine David secundum Evangelium meum. Esse vero hunc nuncium omnium latissimum. Quod si verba fabricari delectet, posse & Ioannis Evangelium ab eo vocari Verbidium, quia dicit: In principio erat verbum.

VERSUS 5.

Salmon autem genuit Booz
de Raab.

QUESTIO I.

An veteri Testamento consentiat Booz
generatio?

§. 1. MYsterium magnum, & mirum pignus divinae misericordiae. Ex urbe perditissima, quae tota in anathema abiit, quam sub maledicto vertit Deus restaurari, non aliquam de melioribus, aut minus malis, sed meretricem servavit Deus. Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quod Iesus Christus venit in mundum peccatores saluos facere. Nemo miretur, sed potius dicat, quod fateri Apostolus non erubuit: Quotum primus ego sum. Nemo indignetur Principem nobilissimae tribus publicum sibi scortum matrimonio iunxisse, cum Christum videat, in genealogia sua ceteris praeteritis tres impudicas mulieres poni iussisse. Non est hoc inquam mirum, sed mysterio plenum: venerat enim assumere naturam humanam, naturam apostaticam, quae se diabolo prostituerat. Gentium Ecclesiam collecturus erat, cuius salus in hac meretrice figurabatur. Rahab in populum electum insita, primario duci nubit, inter matronas Israelitidas splendidior incedit, nec quaestus corporis opprobrio est, tot Regum, & tandem Christi Domini mari. Augustinus in Psalmi 89. Memor ero, inquit, Raab. Quae ista est? Meretrix illa in Hiericho. Meretrix quae Ioseph nuncios, &

Adamus Conzen in Euang. Tom. I.

liavia eiecit, quae praesumpsit in promissione, quae timuit Deum, cui dictum est ut per fenestram mitteret coccum, id est, ut in fronte haberet signum sanguinis Christi. Saluata est ibi, & Ecclesiam gentium significavit. Vnde Dominus superbiens Pharisaeis dixit: Amen dico vobis, publicani & meretrices praecedunt vos in regnum caelorum. Praecedunt, quia vim faciunt. Impellunt credendo, & ceditur fidei, nec obfistere potest quisquam, quia qui vim faciunt, diripiunt illud.

§. 2. De hac serie grauis est, & a multis proposita difficultas, quam tum veteres, tum Abulensis adducit, & dissolvit. In temporum igitur calculo laet difficultas. Templum aedificatum est anno 480. egressus filiorum Israel ex Aegypto. Sunt ergo.

Ab exitu ad templum 480.
Hinc de mendiali quot anni ut natiuitatis series intelligatur.

Ab exitu ad captam Iericho 40.
Ab ortu Davidis ad mortem eius 70.
Ab initio regni Salomonis ad templum 4.
Summa annorum 114.
Qua subducta ex 480.
Superfunt anni 366.

Hoc temporis spacium in Salmonem, Booz, Obed, Iesse distribuendum est. Dicendumque hoc vel simili modo rem habere. Salmonem 66. annos post captam Ierichum genuisse Booz, illum deinde & alios centenarios genuisse filios. Et si vni quippiam dematur, alteri addendum esse. Hanc in sententiam multi conveniunt, nec magnopere movet, quod extremae senectutis fecunditatem tribuunt, cum Abraham annos centum quadriaginta natus filios habuerit, nec causa fuerit ut non, & Iudicum quoque multi longae vitae potuerint. Exempla multi vetera, & recentia adferunt.

Plinius lib. 7. natur. historiae cap. 48. Quamvis Romani quos memorat, non multum excesse: inter annos centesimum. Atque ita in hac quidem causa difficultas nulla est, si numerus ille, de quo agimus, verus indicetur, verum quia de annis inter egressum & templi initium disceptatur inter auctores, nova argumenta concurrunt. De annis enim inter exitum ex Aegypto, & templi restorationem interpolitis varia est sententia. P. acceptor meus Nicolaus Serarius in 3. Reg. c. 7. lectiones aut opiniones septedecim recitet: Tandem concludit a primo exitu ex Aegypto ad inchoatam templi aedificationem annos esse 680. a quibus si detrahas 114. supererunt 566. inter hos dividendi: multo itaque maius spacium concedendum est illis, quos mus Christi progenitoribus. Neque tamen video plurimarie cur id fieri nequeat, si consideremus multos etiam post illos vixisse diutius. Tanto post Gorgias Leontinus vegeta senectate fuit, & ut Caelius ait p. bescente, cum annum 108. attigisset, causam ille reddebat: quod voluptatis causa nihil unquam egisset. Cur non igitur & hic centum quinquaginta annos, aut plures vivere non valeant? Natura fortes, sobrii, pii, Dei adiutorio defensi?

§. 3. Qui naturam ferre negant in aetate tam adulta fecunditatem ad alia omnia se convertunt. Nam, ut Iosephum omitam, qui Boozum ad Hebraea tempora refert. Lyrantus tres Boozos continuos ponit, atque ita facile generationes explet. Alii quosdam volunt omisos, ut Ochozias, Iosias, Amasias postea omittuntur. Verum non videtur omnino dicendum plures interponi, non modo, quia, cum id aliunde non constet, temere affirmandum non est, sed etiam quia ex Libro Ruth refutatur. cap. 4. 18. Haec sunt generationes Phares, &c. Nabasson genuit Salmon, Salmon genuit Booz, Booz genuit Obed, Obed, genuit Isai, Isai genuit David. Valde autem signanter 1. Paral. 2. 11. Nabasson quoque genuit Salmon, de quo natus est Booz, Booz quoque genuit Obed, qui & vetere Scripturae genuit Isai. Cum igitur tot testimoniis constet illa praeputa generatur.

